



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

S. Colocen. Archiepiscopo V. Geurien. & D. Zagabrien. Episcopis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

bus inclytæ recordationis Constanciæ Imperatrici nos scribere postulaſtiſ, ipsa ſublata de medio votum vestrūm non potuimus adimplere. Datum Laterani Nonis Ianuarij.

## SYRACVSANO EPISCOPO.

*Epiſt. 509.  
Vt pullulant  
hæreses extit-  
pare conetur.*

**V**ergente jam in ſenium ſeculo, & ſupercreſcente malitia temporis, friget caritas, & in agro evangelici patrifamilias zizania pullulant, & polluant melleſ trito rareſcente, ac vulpeſ parvulae jam in aperto præſumunt vineam Domini demoliri. Ecce etenim hæreses antiquæ fuſcitantur, ac innovatiſ veteribus, novi adinveniuntur erroreſ, & fidem catholicam pravi nituntur interpreteſ depravare; non ſe conformanteſ legi divinæ, ſed in favorem propriæ perverſatiſ doctrinam evangeli- cam, prophetica- & apostolica- perver- tentes; ita ut noviſſimi dies videantur instare, ſecundūm Apoſtolum, qui in noviſſimi diebus mente prophetica talia prævidens eventura, cùm multa de hujusmodi prædiſiſſet, adjecit: *Quemadmodum autem Iannes & Mambres reſtituerunt Moſe, ita & hi reſtient veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Vtinam autem, ſicut ipſe ſubjunxit, non proficiant ultra, ſed inſipientia eorum, ſicut & illorum, ſiat omnibus manifeſta. Aliud etiam inconveniens ſpecialiter in Sicilia partibus dicitur evenire; cùm hi qui olim ex abnegato gentilitatis errore ſacri baptiſmatis unda renati, fidem catholicam receperunt, nunc abeunteſ retro, & ad vomitum redeunteſ, priftinæ involvuntur erroribus, & Christianæ fidei, quam profeffi fuerant, immo Christo potiūs adverſantur. Cùm autem ad capienda hujusmodi vulpeſ parvulae, ſpecies quidem habenteſ diversa, ſed caudas adinvicem colligatae, quia de vanitate conveniunt in idipſum, Salomon nos inducat in Canticoſ cantico- rum, ne mutiſ canibus latrare non valen- tibus comparemuſ, aut deformitatem vinea Domini Sabaoth, ad quam etiſ in hora ferè undecima, ſumus tamen inter operarioſ, immo potiūs in operarioſ magiſterio deputati, negligere videameſ, vel ſub diſimulatione tranſire, fraterni- tati tuę per apoftolica ſcripta manda- muſ atque præcipiuſ quatenus ob timorem Domini & reverentiam apofto- licæ ſediſ contra hæreticoſ, tanquam fi-

dei Christianæ zelator, affurgas; & ſi apud eos monitiſ obtinere non poteris ut redeant ad Eccleſiæ unitatem, iſpos, fau- tores, defenſores, & receptatores eoruſ, pulſatiſ campaniſ, candelis accenſiſ, per totam dioceſim in qua fuerint, immo etiam per totam provinciam, ſinguliſ die- buſ dominiciſ & festiviſ excommunica- toſ publice nuntiaſ faciaſ, & bona co- ruſ à Principibuſ publicari. Ad hec, quia oblatum exigit, quod non exegerat of- ferendum, nec impune conceditur cui- quam à fide catholica reſiliere, volumuſ, & ſub eadem tibi diſtrićtione mandamuſ, ut eos qui poſt fuſcepturn ſanctificatio- niſ lavacrum redire ad rituſ Sarra- ceni- coſ præſumpferunt, ut a ſuo revertantur errore, & catholicam fidem obſeruent, frequenteſ ac diligenteſ exhortatione præ- miſſa, & per te iſpluſ quacunque poteris diſtrićtione compellaſ, & compelli fa- ciās per Princepeſ ſeculares. Datum ut ſupra.

S. COLOCEN. ARCHIEPISCOPO  
V. Geurien. & D. Zagabrien.  
Episcopis.

**A**D noſtrā noveriſ audientiam perveniſſe quod cùm omnes com- municanteſ in aliquo A. fratri cariſſimi in Christo filij noſtri Vngaroruſ Regiſ illuſtriſ, qui ſciſiſ vel literaſ ſibi di- ri- gerent, aut ab eis recipereſ destina- ta, vel eidem aliquod confiſſum vel auxiliu- exhi- berent, vel ei in aliquo communica- re præſumerent, de mandato bona me- moria Celeſtini Papa prædeceſſori noſtri excommunicatione fuerint vinclu- innodati, N. & A. poſt excommunicationem & inhibitionem apoftolica- em ei- dem communicare ſcienter, conſilium & auxiliu imperti- & divina præſum- pferunt etiam celebra- re. Vnde propter hoc in Hydruntin. & Spalatin. Archi- episcopos, quamvis & illi excommunicationi ſubjaceant, ab eodem, loco re- munerationiſ, contra juris ordinem in regiæ dignitatiſ præjudiciuſ ſunt pro- moti. Quia vero tantæ præſumptioniſ audaciā in injuriā Dei & contem- ptuſ ſediſ apoftolicae atten- tam, im- punitam relinquerē non poſſu- muſ nec debemuſ, fraternitatē vestrā per apofto- lica ſcripta diſtrićtē præcipiendo manda- muſ quatenus ſuper præmiſſi inquiren- teſ diligentiūs veritatem, ſi rem ita no- veriſ ſe habere, præfatoſ N. & A. eo-

*Epiſt. 510.  
Caiſſare el-  
lio Archie-  
pocoſum Hy-  
druntin. & Spal-  
atin.*

rum electionibus, immo verius intrusoribus penitus irritatis, excommunicatos publice nuncetis, & usque ad condignam satisfactionem facias ab omnibus arctius evitari; districtius inhibentes, ne quis eis obtentu electionum fidelitatem, obedientiam, vel reverentiam audeat exhibere. Nullis literis &c. Quod si omnes &c. Datum Laterani III. Kalend. Ianuarij.

*A R C H I E P I S C O P I S ,  
Episcopis, & ceteris Ecclesiarum Prelatis  
in Vngaria constitutis.*

Epist. 511.  
Ne quis in Vngaria Regis Consiliarios facili excommunicationis sententiam profert.

**C**VM inter alios mundi Principes perlonam carissimam in Christo filij H. Vngariae Regis illustris & regnum sibi commissum prærogativa dilectionis & gratiae disposuerimus honorare, in admittendis petitionibus regii, quoties nostro apostolatu porriguntur, tanto nos faciliores, quantum cum Deo possumus, volumus exhibere, quanto ad promovenda universa & singula quæ regia debet serenitas acceptare, volumus existere proniores. Sanè postulavit nuper concedi sibi à nobis ad instar bonæ memoriae Clementis Papæ prædecessoris nostri regia celsitudo, ut nullus Archiepiscopus, vel Prælatus quilibet, in familiares & Consiliarios suos, de quorum absentia & privatione tam regnum Vngariae quam persona Regis possit incurgere detrimentum, & præsertim in Geuriens. Episcopum dilectum & familiarem suū, qui post mortem inclytæ recordationis B. progenitoris ejus tam in guerra quam in pace in omnibus & præ omnibus fidelis sibi extitit & devotus, & inter fideliores fidelissimus est inventus, unde ipsum dignis in Domino laudibus commendamus, excommunicationis sententiam promulgaret. Quod si fuissest ab aliquo forsitan attentatum, per quem mallet Archiepiscopum vel Episcopum usque ad decem absolvi faceret, cuiuslibet contradictionis & appellationis obice non obstante. Nos ergo de benignitate sedis apostolicæ magnificientia regia uberiori volentes favorem & gratiam imperi, universitati vestrae auctoritate præsentium duximus inhibendum, ut in Consiliarios & familiares ipsius, quorum in hac tempestate consilio & familiaritate sine magno sui dispendio carere non potest, nullus vestrus, nisi pro manifesta & rationabili causa, & canonica mo-

nitione præmissa, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare. Quod si aliter fuerit in elusionem mandati apostolici perperam per præsumptionem cuiuslibet attentatum, decernimus non tenere. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij.

*P A T R I A R C H Æ A N T I O C H E N O .*

**N**E lèdatur libertas ecclesiastica, vel ministri Ecclesiarum à perversis hominibus opprimantur, nobis, qui omnibus sumus ex injunctæ servitutis officio secundum Apostolum specialiter debitores effecti, sollicitius imminet providere. Nostris siquidem fuit auribus intimatum quod cum expensas in Antiochena civitate fieri pro aliqua necessitate contingit, communia ipsius civitatis Ecclesias, Clericos, & eorum homines, cuiuscunq; conditionis vel linguae sint, in exactione talliæ contra antiquam consuetudinem aggravant, quam recipere ac pro sua expendere voluntate præsumunt. Præterea tam te quā Ecclesias tuas in multis aliis infestantes, omnes Clericos Antiochen. ad justitiam cuilibet laico exhibendam nituntur sub prætextu sui compellere juramenti. Possessions etiam ecclesiasticas per judicium & consuetudines Græcorum tractare conantes, jura Ecclesiæ Latinorum confuetudinibus abusivè pervertunt. Nos igitur excessus hujusmodi in patientia sustinere nolentes, auctoritate præsentium districtius inhibemus ne aliquis tibi, Ecclesiis, seu Clericis, vel hominibus vestris hujusmodi violentias vel gravamina de cetero inferre præsumat. Quod si quis facere aliqua temeritate præsumperit, licitum tibi sit in eum auctoritate apostolica censuram rigoris ecclesiastici promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij.

*T Y R E N . A R C H I E P I S C O P O .*

**D**E testimoniis qui ad exceptionem probandam à partibus inducuntur, tua nos duxit fraternitas consulenos, utrum cogendi sint super principali etiam negotio ferre testimonium veritati, & an illi sint, sicut ceteri testes, examinandi strictè, qui ad purgandam alicuius infamiam inducuntur. Super hoc igitur fraternitatem tuam plurimùm in Domino commendantes, quæ in dubiis apostolicæ sedis vult certifica-

Epist. 501.  
De conservanda ecclesiastica libertate, & ne à laicis Ecclesiæ exactiones imponantur & talliae.

Epist. 513.  
Quatenus testes ad exceptionem probandam adhibiti, in causa principali testimoniū dicere cogantur.  
Cap. 29. De testimoniis.